



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput IV. Quid juxta Augustinum sit virtus, & quomodo à Theologis
dividatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

CAPUT IV.

Quid juxta Augustinum sit virtus, & quomodo à Theologis dividatur?

SUMMARIUM.

1. Quid designet hoc vocabulum virtus.
2. Discernitur natura virtutis à vitiis.
3. Propositio 1. Probatur.
4. Notanda quadam.
5. Propositio 2. Probatur.
6. 7. 8. 9. & 10. Solvuntur Objectiones.

1.
Quid designet hoc vocabulum virtus.

SUNT hæcenus dicta virtuti, vitioque communia. Ad virtutis naturam indagandam nunc disputatio nostra progreditur. Oportet autem primo, ut exponamus, quid designet hoc virtutis vocabulum: quo interdum utimur ad demonstrandam fortitudinem, ac potentiam, ut copiarum militum Holofernis Jud. 11. 15. dicuntur *Exercitus virtutis*, & de Lyfia in 1. Machab. vi. 6. legitur: *Abiit cum virtute forti*. Aliquando vocabulum illud usurpamus ad exprimendam naturalem vim atque energiam causarum efficientium, quo sensu Sap. vii. 17. legitur: *Ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum*: quandoque ad demonstrandam gratiam miraculorum, ut Matth. vii. 22. *In nomine tuo virtutes multas fecimus*, & Act. 11. 12. *quasi nostra virtute fecerimus hunc ambulare*: non raro ad designandum quemdam ordinem Angelorum, ut in Epistola Pauli ad Ephesios cap. 1. 21. *Super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, &c.* de quo Angelorum ordine scripsi lib. x. cap. 18. Verum his significationibus prætermisiss, & si quæ sunt aliæ consimiles, *Virtutis* nomine intelligimus rectam animi affectionem, laudabiles efficientem eos, in quibus est: & à qua, maxime si constans sit, & conveniens, *Vir* appellatur; aut ipsa virtus, ut Tullio placuit, à viro nomen est mutuata. Atque hanc virtutem definiunt Theologi cum Augustino, & D. Th. quod sit *bona qualitas mentis, quæ recte vivit, & quæ nullus male utitur*. Quamquam enim homo virtute ornatus sæpenumero labitur in vitia; non id provenit ex recta illa affectione mentis, & animi, sed ex contraria cupiditate, uti non à radice arboris bonæ, neque ab insto surculo melioris germinis producitur fructus malus, ut alio in loco explicavimus.

2.
Discernitur natura virtutis à vitiis.

Cum itaque virtus sit bona illa qualitas, & recta, & conveniens affectio, qua recte vivimus, recte agimus, recte utimur; facile erit virtutis naturam à vitiis discernere; si animadvertamus cum Augustino lib. x. de Trinit. cap. 10.

& 1. de Doctr. Christiana cap. 34. duos esse actus rationalis creaturæ ad quos cæteri reducuntur, *uti, & frui*. Nihil aliud est *uti*, quam aliquid in facultatem voluntatis assumere; quod fit in iis rebus, quæ non propter se, sed ratione ultimi finis assumuntur in usum. *Frui* autem dicimur, dum inhæremus alicui rei propter se, ut dum summum bonum amore casto diligimus, & illius causa utimur creaturis. Ex qua dilectione gaudium aliquod resultat, vel spei in hac vita, vel rei, ut explicat dist. 1. Magister, atque in eadem distinctione Gregorius noster, Estius, alique Doctores Scholastici. Et quoniam non possumus inhærere amore, & dilectione alicui creaturæ propter se, atque omnire mutabili uti debemus propter finem ultimum; consequens est, nos recte vivere, dum fruimur Deo, & utimur creaturis; & vitiosos fieri, dum fruimur creaturis, atque utimur Deo.

PROPOSITIO: Nihil est aliud juxta Augustinum virtus, quam ordo amoris, quo servato, vel fruimur Deo, vel utimur creaturis.

Traditur hæc propositio apertissime à D. Parente Augustino lib. xv. de Civ. D. cap. 22. his verbis: *Unde mihi videtur, quod definitio brevis, & vera virtutis, ordo est amoris*. Et de moribus Eccl. Cath. cap. xv. *Nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei*. Defenditur autem hæc propositio ab Augustinianis Theologis, ut constat ex Nicolao Gireken Tom. 2. Summæ Q. 1. dub. 1. & Fulgentio Bellelli in postremo Opere *Mens Augustini* inscripto P. 1. cap. 24. & P. 2. cap. 54. §. 3. Probatur autem his Augustinianis argumentis 1. nihil aliud est virtus, quam recta & conveniens ratio vivendi, ut supra explicavimus; & Augustinus ipse scribit in iv. de Civ. D. cap. 21. *Ars ipsa bene recteque vivendi virtus à veteribus definita est. Unde ab eo quod Græce ἀρετή dicitur virtus, nomen Artis Latinos traduxisse putaverunt*. Id est, per syncopem, quomodo vult Donatus in Andriam Terentii. Atqui

Atqui non recte vivitur, nisi servato ordine charitatis fruamur summo bono, bonisque utamur commutabilibus. In hoc igitur quod est *frui*, & *uti* charitatis ordine non neglecto, sita est natura virtutis. II. Aversio à bono incommutabili ad bona commutabilia est vitium, & conversio à bonis commutabilibus ad incommutabile bonum est virtus. Atqui avertimur à summo bono, quotiescunque utimur Deo ad fruendum creaturis, & avertimur à creaturis, dum iis utimur ad fruendum Deo. Igitur in *frui* & *uti* non perturbato amoris ordine sita est virtus: Proinde rationalis creatura, sive in Angelico spiritu, sive in anima humana ita facta est, ut sibi ipsa bonum, quo beata fiat, esse non possit, sed mutabilitas ejus si convertatur ad incommutabile bonum fiat beata, unde si avertatur misera est. Aversio ejus vitium est, conversio ejus virtus est. Ait S. Pater lib. ad Honoratum, sive Epist. cxi. n. 56. & lib. lxxxiii. Quæst. q. 30. *Omnis itaque humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui. Et rursus omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, & utendis uti.* III. Nulla animi qualitas censenda virtus est, nisi hominem reddat quodammodo meliorem. Atqui melior rationalis creatura reddi non potest, nisi amore hæreat summo bono, eoque aut spe, aut re fruatur. Igitur sine hujusmodi amore virtus vera non datur. Quomodo in ipsis corporibus (inquit S. P. citata ad Honoratum Epistola) quæ inferiora sunt, sicut terra, aqua, & ipse aer meliora sunt participatione melioris, id est cum luce illuminantur, & fervore vegetantur: sic incorporeæ creaturæ rationales ipsius Creatoris sunt participatione meliores, cum ei coherent purissima, & sanctissima charitate; quæ omni modo si caruerint, tenebrescunt, & obdurescunt quodammodo. IV. Non semel affirmavimus non dari veram virtutem ad vitam perducen-tem æternam, nisi per sanctam dilectionem referatur in Deum, neque virtutem moralem, si non exerceatur motivo honesti boni, quod nobis proponit idea incommutabilis veritatis. Atqui talis relatio haberi nequit sine aliquo ordine amoris tendentis in finem ultimum, neque permanentis in bono aliquo commutabili. Ergo &c. Absit autem, (inquit S. P. in iv. contra Julian. n. xxi.) ut veræ virtutes cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum, cui dicimus, Deus virtutum converte nos.

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibusdam commodis, & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt. Quæ autem nulli rei serviunt, nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus à quo donantur hominibus. Deo serviunt in Angelis, à quo donantur & Angelis. Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere veræ sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.

Ex hoc Augustinianæ doctrinæ capite, primo intelligitur, cur Christus Dominus Mat. xxii. 40. docuerit in duobus mandatis dilectionis universam legem pendere, & Apostolus i. ad Corinthi. xiii. scripserit sine charitate officia quælibet virtutum nihil prædesse. Quod non ideo traditum est, quasi omnis virtus sit charitas, & sola remuneretur à Deo, ut asseruit Quenellus damnatis propositionibus 52. & seqq. sed quoniam omnis virtutis actus ex aliquo amore boni debet procedere non justificante, & perfecto, sed saltem inchoato, ac tendente in bonum, quod amandum est. Deinde percipitur quomodo virtus in solo Deo sit naturaliter immutabilis, atque in beatis constans, ac perpetua per participationem beatitudinis, quoniam ille se ipso fruitur, omniaque operatur in sui gloriam; ac beatorum animæ fruuntur Deo, eique adhærent firmissima charitate. Facile demum ex hac doctrina colligitur non esse veram virtutem Stoicam illam, cui studuerunt aliqui propter ipsius virtutis ornamentum, atque decorem, neque Epicureorum operantium propter voluptatem, neque Romanorum honesta officia exercentium propter sui nominis celebritatem; cum in his omnibus sit amoris perversitas, & frui bonis commutabilibus.

PROPOSITIO II. Cum omnis virtus sit ordinata ad fruendum summo bono, & utendum bonis commutabilibus, virtutes omnes, vel ad tres Theologales, vel ad quatuor Cardinales reducuntur.

Vel enim immediate virtus fertur in finem, quo frui debemus, vel in media, quibus utendum est. Si virtus immediate fertur in finem, debet reduci ad unam ex tribus Theologalibus; si in media, ad unam ex quatuor Cardinalibus. Ergo ad istas reliquæ omnes reducuntur. Prob. minor. In Deum immediate tendimus, vel cognitione supernaturalium bonorum, vel cordis motione ac desiderio, vel unione amoris.

R 2

Quorum

Notanda
quædam.

5.

Propositio 2.

Probat.

ambig.

rum primum præstat fides, alterum spes, tertium charitas; quæ ideo evacuata fide, atque spe, manet in patria: unde Apostolus in 1. ad Cor. XIII. 8. ait: *Charitas nunquam excidit.* Si vero virtus tendat in media, quibus servato ordine charitatis uti debemus, vel exercetur seligendo sagaciter media, quæ ad finem conducunt ab iis, quæ illius consecutionem impedire possunt; & in hoc sita est virtus prudentiæ, cujus partes juxta Angelicum Doctorem sunt sollicitudo, vigilantia, memoria, intelligentia, docilitas, solertia, ratio, providentia, circumspectio, & cautio. Vel exercetur virtus unicuique suum tribuendo, Deo scilicet cultum, honorem parentibus, proximo depositum, mutuum, & quidquid ei aliquo debetur titulo; atque id ad iustitiam pertinet, vel ad ipsius partes, nimirum Religionem, poenitentiam, pietatem, humilitatem, observantiam, gratitudinem, vindicationem, veracitatem, amicitiam, & magnificentiam. Vel exercetur virtus integrum se præbendo ei quod amatur: atque hæc est virtus temperantiæ, sub qua, veluti sub genere comprehenduntur abstinencia, sobrietas, castitas, pudicitia. Vel denique exercetur virtus adversa omnia patientissime tolerando: in quo sita est fortitudo, vel ad fortitudinem pertinentes magnanimitas, patientia, perseverantia. Audiendus de quatuor his virtutibus differens Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. xv. num. 25. *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim nisi summum amorem Dei. Namque illud, quod quadrupartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem; ut temperantia sit amor integrum se præbens ei, quod amatur. Fortitudo amor facile tolerans omnia propter quod amatur. Iustitia amor soli amato serviens, & propterea recte dominans. Prudentia amor ea quibus adjuvatur ab eis, quibus impeditur, sagaciter seligens, &c.*

AD QUÆDAM IN CONTRARIUM
ARGUMENTA.

6. Sed objicies. Si nulla absque ordine
Obijciunt 1. amoris daretur virtus, sequeretur primo fidem non operari nisi per charitatem, & ab amore sejunctam non virtutem esse, sed vitium. Id vero damnatum

est in Bulla *Unigenitus*, prop. LI. & LII. II. Sequeretur solam charitatem facere actiones christianas, inter opera virtutum connumerandas, solam charitatem honorare Deum, solam remunerari: quod est proscriptum prop. LIII. LIV. LV. LVI. eadem Bulla. III. Sequeretur non esse sine amore virtutem spei, imo nec religionis, quod damnatur proximis propositionibus LVII. LVIII. IV. Sequeretur timorem supplicii, nec virtutem constituere, nec donum Dei esse, nec peccatum cohibere saltem in corde: quod pariter damnatum est, ne vultuosiores hæreses commemoremus, eadem Clementina Constitutione à propositione LX. ad LXVIII. Tradita ergo virtutis idea non alia est, quam à Lutheranis primum, deinde à Bajo, & Quenello præformata.

Resp. plures utique dari virtutes, quæ non sunt *formaliter* amor, sed nulla virtus ab ordine amoris divellitur, id est, nulla virtute recte utimur, nisi ordinatè amando; fieri enim non potest, ut sine aliquo affectu, aut credamus, aut speremus, aut timeamus, cum semper primus voluntatis motus sit amor. Quare plures dantur virtutum supernaturalium *habitus* absque charitate, sed nulla virtus suos actus absque vicio penitus exerit, nisi rectus aliquis amor voluntatem moveat, ac trahat. At necesse non est, ut talis amor, quo duce virtutibus bene utimur, sit *habitualis*, justificans, & tam vehemens, ut secum trahat remissionem peccatorum; alioquin nunquam peccator posset credere, aut sperare, aut timore concuti salutari. Sufficit si fuerit actualis aliqua, sed tenens ordinem, id est non directæ ad fruendum bonis commutabilibus, cupiditas boni. Merito ergo damnatæ fuerunt omnes propositiones Quenelli, quoniam asseruit prop. 28. *Primam gratiam, quam Deus concedit peccatori, esse remissionem peccatorum:* prop. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante necesse esse, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* Ex quibus sequitur peccatorem nullum, priusquam ei remittantur peccata, posse exercere virtutem: quod impium est, hæreticum, & blasphemum.

Ad singula tamen respondemus, dicentes fidem operari sine charitate, quæ dat remissionem peccatorum, quam solam charitatem novi Dogmatistæ agnoverunt: operari tamen per dilectionem, & amorem inchoatum, quando est justificationis initium, & cætera impetrat, quibus ad æternam vitam per-

7.
Notanda an-
te solutio-
nem.

8.
Solutio.

perducimur. Quod si ab omni prorsus dilectione, & pio affectu divulsa sit; erit quidem fidei *habitus*, & per se bona mentis qualitas; sed hoc *habitu* nemo bene utetur ad beatitudinem capefendam, non deficientia fidei, sed dilectionis, sive inspirationis charitatis, aut gratiæ actualis, per quam fidem operari scribit Apostolus ad Galatas v. 6. & Augustinus de Gratia, & lib. arb. cap. 7. Ad 2. dicimus non charitatem solam, sed etiam spem, timorem Domini, cæterasque virtutes facere actiones Christianas, cum sint omnes *habitus*, ac bonæ affectiones animi, ac propriarum operationum principia: sed ut hujusmodi operationes veram virtutem redeant, id est, rectæ sint non solum officio, verum etiam fine, & coronam, ac remunerationem promereantur, necesse est, ad finem ultimum tendant, & auxiliatricem habeant charitatem, non *habitualement*, quæ non est sine remissione peccatorum, & quæ necessaria tantum est ad perfectam unionem cum Christo, qualem novi hæretici perperam ad omne opus bonum requirunt, sed actualem, inchoatam, sive gratiam sanctæ inspirationis, sine qua nihil fieri posse, quod ad pietatem pertineat, veramque justitiam, decretum est Augustini de Gratia Christi cap. 26. Ad 3. asserimus, spem pariter cum merito futuræ beatitudinis conjunctam, ex sententia Augustini cap. 8. Enchiridii, sine amore non esse: sed non ad sensum Quenelli; nam ut actus spei non sit à virtute divulsus, sufficit si procedat à recto impulsu voluntatis in bonum: nemo quippe sperare potest, nisi amet bona illa, quæ sperat. Ad ultimum respondeo nullam aliam esse causam timoris, nisi amorem; nam timemus mala, quoniam nos ab aliquo bono divellunt: unde Angelicus Doctor 2. 2. q. 19. art. 3. *Timor*, inquit, *ex amore nascitur*. Vel ergo timemus, quod amore hæreamus mundo, temporali vitæ, fluxisque voluptatibus, & hic est timor mundanus proculdubio vitiosus: vel timemus sempiternam pœnam, quoniam nobis timorem incutit summa Dei potestas, & vindex justitiæ; & est timor servilis, substantiâ quidem bonus, cum sit donum Dei, & à malo coerceat, sternatque viam dilectioni, sed nondum habet perfectionem virtutis, non defectu hujus timoris, sed timentis. Præterea damnata est 67. propositio Quenelliana; *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intrastabilem*. Timor enim qui virtus est,

oritur ex consideratione incorruptæ justitiæ, ac supremi imperii illius Dei, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam; quæ consideratio non est absque implicito amore justitiæ, & reverentia Divinæ majestatis, licet non sit cum actu explicito charitatis. Vel denique timemus propter horrorem culpæ; atque timor iste filialis appellatus, propterea quod filiorum est timere offensam patris, est rectus, castus, atque in serie virtutum constituendus; sed oritur ex ordinata dilectione, & ex amore honestatis.

Possit quis opponere sententiam illorum, qui constituunt naturam virtutis in recto ordine amoris adversari decretis Alexandri VIII. & coherere propositionibus anno 1690. ab eodem confixis. In septima enim: *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, id est mala*; proscribitur etiam eorum opinio, qui non virtutem, sed vitium esse contendunt quidquid ex amore, & dilectione Dei non procedit. In nona vero propositione: *Revera, peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu*, latere videtur eadem opinio, quod absque dilectione peccatorum detestatio nequaquam habeat decorem, atque honestatem virtutis. Idem de propositione x. xi. xii. ac xiii. est asserendum; istiusmodi enim propositiones continent pravam doctrinam illorum, qui negarunt virtutem esse Christianam fidem, quæ per dilectionem non operatur, deficere ipsam fidem deficiente amore, neque carere vitio, quod caret amore ipso: quæ omnia tam videntur assertioni nostræ similia, quam simile est ovum ovo.

Sed hæc iisdem responsionibus diluantur; non enim à nobis denegantur alii virtutum *habitus* à charitate distincti, cujusmodi est fides, spes, timor; neque recensetur inter vitia, aut detestatio peccatorum excitata ex illorum turpitudine, aut bonum opus patratum intuitu mercedis æternæ, aut fides, quæ à charitate disjungitur; quemadmodum autumabant illarum propositionum assertores: sed cum hæc omnia virtutum *habitus*, & in se inspecta esse bona profiteamur contendimus habere à charitate, & ab amore virtutis formam, ac perfectionem; quamquam iis *habitus*, ac virtutibus recte utamur, etiam destituti charitate *habituali*, dummodo aliquo amore dirigantur in Deum ultimum

R 3

finem,

9.
Obiectio 2.

10.
Solutio.

finem, aut saltem conformentur communi, & incommutabili regulæ rectitudinis. Septima ergo propositio ab Alexandro VIII. proscripta furculus est Bajani articuli 38. ut animadvertit etiam Dominicus Viva in Trutina damnatarum thesium Volumine III. pag. 98. & merito damnata est, quoniam multa opera deliberata recte fiunt absque charitate *habituali*, & sine gratia Spiritus sancti inhabitantis; multa etiam spectato officio, & secundum operis substantiam recta sunt, neque à noxia cupiditate proficiuntur, et si virtutis laudem ex alio capite minime promereantur, ut explicatum est præcedenti volumine pag. 390. & 415. ex quo nempe recto ordine relationis sint destituta. At propositio IX. non tantum ob hanc rationem proscripta est, verum etiam quia adstruere videtur peccatum philosophicum, eadem Alex. VIII. constitutione

damnatum, de quo proximo cap. 9. quamquam etiam in hoc falsa est, quod supponit detestationem peccati ob ejus turpitudinem non exoriri ex amore honestatis, quem rectum esse, & ad virtutem constituendam idoneum non denego, servatis tamen iis, quæ de virtutis norma disserui eodem volumine pag. 393. & p. 401. Ita qui intuitu celestis beatitudinis operatur, tenet amoris ordinem, quoniam æternam vitam diligere directum est: neque admittitur à nobis necessarius illè amor purus, quem nonnulli adstruere conati sunt, proximo libro refutandi. Ceteræ propositiones merito fuerunt damnatæ, cum rejiciant apertissime doctrinam Catholicam, quod etiam sine charitate permaneant *habitus* fidei, aliarumque virtutum, & harum actus ex se labefactos vitio pronuntiant; cum recti sint juxta doctrinam alibi expositam.

CAPUT V.

In quo rationalis Creaturæ actu constituenda sit æterna felicitas, quæ est merces, ac præmium virtutis.

SUMMARIUM.

1. Non datur vera in hac temporali vita Beatitudo.
2. Sanitas, pulchritudo, & voluptas non constituent beatitudinem.
3. Nec divitiæ, fama, nobilitas.

4. Nec in virtute, & sapientia.
5. Variæ aliæ opiniones circa Beatitudinem.
6. 7. 8. & 9. Propositio I. Probatur variè.
10. Propositio 2. Probatur.
11. & 12. Solutio objectionum.

INDUBITATUM est virtutis, de qua capite præcedenti disserui, condignam mercedem esse perfrui summo, & incommutabili bono. Explosa est enim, atque à fidelium mente prorsus eliminata qualibet opinio antiquorum hominis felicitatem in aliqua fluxu boni participatione constituentium. De quo errore, cum satis multa differant Philosophi in ea parte, quam Ethicæ vocant, perpaucam subijciam loco prænotationis ad propositam disquisitionem.

Nullus itaque ratione præditus statuet veram in hac temporali vita beatitudinem. Enimvero quemadmodum ratiocinatur magnus Augustinus in XIV. de Civ. Dei cap. 25. in facultate hominis positum minime est vivere quamdiu, & quomodo ipsi libuerit; nam anni nostri sicut aranea meditabuntur: vix erit, qui integra valetudine attingat annum septuagesimum; & si numerentur in robustioribus anni octoginta, amplius eorum labor, & dolor. Legito Psalmum Davidis LXXXIX. 10. Aut ergo qui moritur vult vivere, & moriendo nequit

habere quod vellet; aut mavult mori, ut melius vivat post mortem, & hac vita tanquam meliori bono non fruitur. Nunc vero (inquit S. Pater) quis hominum potest ut vult vivere, quando ipsum vivere non est in potestate? Vivere enim vult, mori cogitur. Quomodo ergo vivit, ut vult, qui non vivit quamdiu vult? Quod si mori voluerit, quomodo potest, ut vult vivere, qui non vult vivere, etsi ideo mori velit, non quo nolit vivere, sed ut post mortem melius possit vivere?

Facile pariter demonstrare possumus non consistere beatitudinem in bonis corporis, quæ tria recenserentur solent, sanitas, pulchritudo, & voluptas. Enimvero hæc, quomodo bona reliqua mutabilia, possunt amitti; ideoque necessum est, ut cum timore possideantur: Qui timet (ait S. Doctor lib. de Beata Vita. num XI.) videtur tibi beatus esse? Non videtur. Ergo quod amat quisque, si amittere potest, potestne non timere? Non potest. Amitti autem possunt illa fortuita. Non igitur hæc qui amat, & possidet, potest ullo

2. Sanitas, pulchritudo, & voluptas non constituent beatitudinem.

1. Non datur vera in hac temporali vita beatitudo.